



Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

Suárez, Francisco

[Köln], 1616

Sectio 1. An remisso vno mortali, omnia remittantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

In iustificatione Magdalena, quam per fidei.

In solutione ad 1. obseruandum est, quod ad D. Th. pie dicitur, Magdalena in sua conuersione non solum remissa fuisse peccata, sed etiam omnes peccatorum reliquias fuisse sublatas, vt patet, inquit D. Thomas, Luca. 7. Ex quo loco aperte solum habemus remissa fuisse Magdalena omnia peccata, & magna etiam probabilitate, ac fere certo colligitur non solum quoad culpam, sed etiam quoad reatum poenae fuisse remissa, Quia dilexit multum, & ex illo, Vnde in pace, & ex aliis circumstantiis quae ibi referuntur. Quod vero ablati fuerint omnes habitus prauis, & dispositiones, & praua phantasmata, non ita clare colligitur ex illo loco: pie tamen creditur, tum ex Christi liberalitate, tum ex modo viuendi, quem ab eo puncto Magdalena instituit, & perfectissimis actionibus virtutum, quas summa promptitudine & facilitate exercuit. Alia argumenta non indigent declaratione.

sed etiam motus liberi arbitrij in Deum, qui est actus fidei formatae, ad motus liberi arbitrij in peccatum, qui est actus poenitentiae. Hi tamen actus humani sunt ibi, vt effectus gratiae operantis, simul producti cum remissione culpa. Vnde remissio culpa non fit sine actu poenitentiae virtutis, licet sit effectus gratiae operantis.

Ad 2. dicendum, quod in iustificatione impij non solum est actus poenitentiae, sed etiam est actus fidei: vt dictum est. Ideo remissio culpa non ponitur effectus solum poenitentiae virtutis: sed principalis fidei, & charitatis.

Ad 3. dicendum, quod ad passionem Christi ordinatur actus poenitentiae virtutis, & per fidem, & per ordinem ad clauis Ecclesiae. Et ideo vtroque modo causat remissionem culpa virtute passionis Christi.

Ad id autem quod in contrarium obijciatur, dicendum est, quod actus poenitentiae virtutis habet, quod sine eo non possit fieri remissio culpa, in quantum est inseparabilis effectus gratiae, per quam principaliter culpa remittitur, quae etiam operatur in omnibus sacramentis. Et ideo per hoc non potest concludi, nisi quod gratia est principalior causa remissionis culpa, quam poenitentiae sacramentum. Sciendum tamen, quod etiam in veteri lege, & in lege naturae, erat aliquo modo sacramentum poenitentiae: vt supra dictum est.

In solutione praecedenti. § 1. 2. q. 113. art. 49

ARTICVLVS VI.

Verum remissio culpa sit effectus poenitentiae.

4. d. 14. q. 2. art. 1. q. 1.



Ad sextum sic proceditur. Videtur, quod remissio culpa non sit effectus poenitentiae, secundum quod est virtus. Dicitur enim poenitentia virtus, secundum quod est principium humani actus. Sed humanus actus non operatur ad remissionem culpa, qui est effectus gratiae operantis. Ergo remissio culpa non est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus.

Praterea, Quaedam aliae virtutes sunt excellentiores poenitentiae. Sed remissio culpa non dicitur effectus alicuius alterius virtutis. Ergo etiam non effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

Praterea, Remissio culpa non est nisi ex virtute passionis Christi, secundum illud Hebr. 9. Sine sanguinis effusione non fit remissio. Sed poenitentia in quantum est sacramentum, operatur in virtute passionis Christi, sicut & cetera sacramenta, vt ex supra dictis patet. Ergo remissio culpa non est effectus poenitentiae in quantum est virtus, sed in quantum est sacramentum.

Q. 62. art. 1.

Sed contra, Illud est proprie causa alicuius, sine quo esse non potest: omnis enim effectus dependet a sua causa. Sed remissio culpa potest esse a Deo sine poenitentiae sacramento, non autem sine poenitentia secundum quod est virtus: vt supra dictum est. Vnde & ante sacramenta nouae legis poenitentibus Deus peccata remittebat. Ergo remissio culpa est praecipue effectus poenitentiae secundum quod est virtus.

art. praeced.

Respondeo dicendum, quod poenitentia est virtus, secundum quod est principium quorundam actuum humanorum. Actus autem humani, qui sunt ex parte peccatoris, materialiter se habent in poenitentiae sacramento. Omne autem sacramentum producit effectum suum non solum virtute forma, sed etiam virtute materiae: ex vtroque enim est vnum sacramentum, vt supra habitum est. Vnde sicut remissio culpa fit in baptismo, non solum virtute forma, sed etiam virtute materiae, scilicet aquae: principaliter tamen virtute forma, ex qua & ipsa aqua virtutem recipit: ita etiam & remissio culpa est effectus poenitentiae, principaliter quidem ex virtute clauium, quas habent ministri, ex quorum parte accipitur id, quod est formale in hoc sacramento (vt supra dictum est) secundario autem ex vi actuum poenitentis, pertinentium ad virtutem poenitentiae: tamen prout hi actus aliquo modo ordinantur ad clauis Ecclesiae. Et sic patet, quod remissio culpa est effectus poenitentiae, secundum quod est virtus: principaliter tamen, secundum quod est sacramentum.

Q. 60. art. 6. ad 1. & art. 7.

Ad 1. ergo dicendum, quod effectus gratiae operantis est iustificatio impij: vt in Secunda parte dictum est. In qua, vt ibidem dictum est, non solum est gratia infusio & remissio culpa,

Q. 81. art. 3.

1. 2. q. 113. in dist. 1. q. 2.

DISPVATIO X.

De perfectione remissionis peccati mortalis, quatenus a poenitentia fit.



In hoc effectu duo possunt considerari, scilicet infusio gratiae, & virtutum, & remotio mali. Hic non inquirimus perfectionem prioris effectus, quae, quod ad praesens attinet, solum potest esse intensiua: cuius consideratio proprie spectat ad materiam de iustificatione, & nunc supponimus dari maiorem vel minorem pro ratione dispositionis: agimus ergo de perfectione huius effectus quoad remotionem mali, vel culpa, vel poenae: quae perfectio est quasi extensiua, quatenus ad plura vel pauciora mala tollenda remissio extenditur. Haec autem mala ad duo praedicta capita reuocantur, quae breuiter expediemus.

SECTIO I.

Verum remissio vno peccato mortali per poenitentiam, necessario remittantur omnia quae in eodem subiecto sunt.

Hae quaestio, vt in commentariis insinuauimus, partim generalis est de iustificatione peccatoris quocumque modo fiat, id est, siue per solam virtutem poenitentiae, & charitatis, siue vt adiunctam aliquo sacramento, baptismi, vel poenitentiae: partim potest esse specialis de tali remissione, quae fit per propriam virtutem poenitentiae. Et priori quidem sensu potius pertinet quaestio ad materiam de iustificatione, quam ad hunc locum. Tamen, quia posterior sensus, qui proprius est huius loci, omnino praedat ex priori, ideo quaestio illam generalem prius expediemus, & inde facile alterius puncti resolutionem constat.

Quaestio pro. ponitur.

constabit. Potest autem illa quaestio tractari vel de facto seu necessitate secundum leges à Deo statutas: seu (quod idem est) de potentia ordinaria, vel de necessitate & potentia absoluta.

De facto non posse remitti vnum mortale sine alio. Assertio 1.

Primo ergo loquendo de facto & secundum legem ordinariam, est certum, & de fide, non posse remitti vnum peccatum mortale sine alio. Ita docent omnes Theologi cum D. Thoma dicta quaest. 86. art. 3. Ratio in primis est connexio, quam habent omnia peccata mortalia in ordine ad veram contritionem: quia ut supra ostensum est, non potest dari vera contritio vnus peccati mortalis: quin sit omnium. Et idem est de connexione in amore super omnia, nam cum illo non potest esse aliquod peccatum mortale. Quo sensu intelligi potest illud dictum Iacobi 2. *Qui in vno offendit, factus est omnium reus*, scilicet, quantum ad carentiam veri amoris, ut retigit Augustinus epist. 29. Quia vero nunc potest fieri remissio per attritionem, quae potest esse vnus peccati, & non omnium, ideo addendum est, haec peccata etiam esse connexa quoad remissionem in ipsa gratia sanctificante, quia sine illa nullum peccatum mortale remittitur, ut diximus; & cum illa nullum peccatum mortale esse potest, *Nihil enim damnationis est ipsi, qui sunt in Christo Iesu*, ut dicitur ad Rom. 8. Item, quia omne peccatum mortale destruit amicitiam cum Deo: nullum autem peccatum mortale remittitur, nisi quis recipiatur in amicitiam Dei. Denique, quia per peccatum mortale excluditur homo à regno caelorum: nemini autem remittitur peccatum mortale, nisi simul acceptetur ad regnum caelorum. Quo argumento vsus est Innocentius III. in cap. *Maiores* de Baptismo, ut inde concluderet etiam originale peccatum non posse remitti manente mortali. Tandem veritatem hanc supponit Concilium Tridentinum multis in locis sess. 5. can. 5. dicens in iustificatis per baptismum nihil manere posse, quod propriam rationem peccati damnationem merentis habeat, & sess. 6. cap. 7. dicens, iustificationem peccatoris includere remissionem peccatorum: & c. 14. dicens, filiem reparationem lapsi quoad remissionem peccatorum fieri per poenitentiam: & c. 15. dicens, quodlibet peccatum mortale cum gratia repugnare. Atque ex eisdem rationibus colligi potest, ordinationem hanc non esse mere extrinsecam ex sola voluntate Dei, sed habere fundamentum, & esse connaturalem ipsi gratiae, & charitati: nam haec natura sua constituit hominem sanctum, & suo modo desinant illum, & ideo secum non admittunt aliquid, quod faciat hominem Deo indignum, quale est omne peccatum mortale. Quae ratio adeo efficax aliquibus videtur, ut etiam de potentia absoluta probare videatur. Sed de hoc statim.

An possit de potentia absoluta.

Circa secundum punctum de potentia absoluta **E** Soto distinct. 15. quaest. 1. artic. 3. respondet, fieri hoc non posse de potentia absoluta, quia existimat non posse peccatum remitti, quin homo eleuetur ad amicitiam & gratiam Dei, cum qua nullum peccatum mortale manere potest. Possumusq; hoc confirmare, quia macula peccati, quae ex omnibus peccatis mortalibus relinquatur, vna est, & indiuisibilis: ergo non potest tolli quin tollantur omnia peccata. Contrariam sententiam tenent Adrianus q. 4. de poenit. & Medina distinct. quaest. 12. & clare sumitur ex Scoto dist. 14. quaest. 1. & Gabriele quaest. 1. art. 1. Quorum fundamentum est, quia post peccatum, solum manet obligatio poenae: potest autem Deus remittere poenam vni peccato debitam, & non alteri. Sed hoc fundamentum, supra reiectum est, quia

D. Thom.
Iacob.
August.
Rom. 8.
Cap. Maiores.
Conc. Trid.
Soti sententia.
Intentione affirmans.
Adrianus.
Medina.
Scotus.
Gabr.

Are vera ille reatus fundatur in isto peccato, quatenus in peccatore manet, quod etiam disp. sequente magis explicabo.

Duobus ergo modis potest haec sententia defendi: Primum, iuxta opinionem in fine praecedentis disputationis tractatam, scilicet, posse Deum remittere peccatum mortale sine intrinseca & physica mutatione ipsius peccatoris, solum per intrinsecam condonationem remittendo culpam, & moraliter illam destruendo: nam hoc posito, nulla est implicatio quin possit hoc modo condonare vnam offensam, & non aliam: quia si peccata mortalia aliquam habent connexionem necessariam in ordine ad remissionem, illud solum est ex parte ipsius peccatoris, quando debet perfecte iustificari & conuerti, ut vel vnum peccatum mortale illi remittatur. Atque hoc modo eandem probabilitatem habet haec opinio, quam habet illa prior. Secundo vero modo potest fundari haec opinio abstrahendo ab illa, & supponendo aliam supra probatam, quod per solam actualem mutationem possit remitti peccatum. Nam potuit Deus statuere per quamcunque attritionem cuiusvis peccati illud remittere: quid enim hoc repugnat? sicut ergo potest esse attritio vnus peccati, quae non sit aliorum, ita & remissio. Deinde, cum ostensum sit ad remissionem peccati de potentia absoluta non esse necessariam infusionem gratiae, neq; restitutionem peccatoris in propriam amicitiam Dei: nihil assignari potest, in quo haec peccata habeant annexam connexionem quoad remissionem: **C** ergo potuisset Deus, si vellet, vnum sine alio remittere. Ideo enim nunc de facto in peccatis venialibus remittit vnum sine alio, ut infra dicam: quia neque in dispositione, neque in aliqua forma necessario connectitur remissio vnus cum remissione alterius: ergo idem erit de potentia absoluta in mortalibus.

Et per haec satisfactum est fundamento contrariae sententiae, nullam enim ostendit implicationem contradictionis. Ad confirmationem autem iam supra declaratum est, quomodo careria gratiae pertineat ad maculam peccati: & quomodo illa durate quasi materialiter, possit formalis ratio maculae seu habitualis peccati deleri. **D. Th.** etiam 1. 2. q. 86. art. 1. **D. Thom.** ad 3. ex eodem principio declarat, quo modo eadem priuatio gratiae sit diuersa macula per ordinem ad diuersa peccata. Sicigitur posset Deus tollere vnum peccatum sine alio, & facere ut illa eadem priuatio maneret, ut est ab vno peccato, non vero ut est ab alio, quod iam manet remissum, & consequenter maneret tunc ut macula vnus peccati, & non alterius. Sicut enim à principio potuit esse haec priuatio physica, ut macula vnus peccati, & non plurium; ita etiam potest postea permanere: quia licet à pluribus causata intelligitur, tamen non ex hoc precise, quod ab illis inducta est, habet quod semper sit macula eorum, nisi ratione etiam illorum intelligatur semper durare, & moraliter perseverare, & hoc posset tollere Deus potentia absoluta, ut dictum est.

Quid dicendum de speciali modo remissionis per poenitentiam, de potentia ordinaria.

ET ex his quae in generali dicta sunt de remissione peccatorum, facile est expedire primum punctum de speciali modo remissionis, quae fit media poenitentia virtute. Nam, quod attinet ad potentiam ordinariam, resolutio superius facta, hic etiam procedit, quia ostensum est vniuersaliter remissionem peccatorum, secundum statutas à Deo leges, nunquam ab isto dari dimidiam veniam mortalium peccatorum. Ostensum est etiam huiusmodi legem esse connaturalem gratiae, per quam fit formaliter remissio peccati, etiam si dispositiue fiat per poenitentiam.



Summa ob
jectionum
Medina.

Contra hanc autem veritatem, nonnullæ obiectio- nes sumi possunt ex Medina Codice de confessione, tractatu 1. quæst. 12. Summa vero omnium est: quia per omnem contritionem delentur omnia peccata mortalia, de quibus est contritio, & ea tantum: sed de facto potest dari contritio, quæ sit de quibusdam peccatis mortalibus, & non de aliis: ergo de facto potest dari contritio remittens quædam peccata, & non omnia. Minorem probat variis mediis, quæ eo tendunt, vt probent, non omnem veram contritionem necessario esse de omnibus peccatis mortalibus, quod nos supra ostendimus simpliciter falsum esse. Dico autem simpliciter, quia necesse non est contritionem omnem ex parte materialis obiecti expresse recogitari esse de omnibus peccatis mortalibus, quod ad B sufficiens probant obiectiones Medina: necesse autem est, vt ex vi formalis motui, atq; adeo implicite seu virtualiter quælibet contritio sit de omnibus peccatis mortalibus, contra quod non procedunt dictæ obiectiones, vt legenti facile patebit. Et summi etiam potest ex dictis supra de contritionis essentia & natura. Vnde ad minorem propositionem hic assumptam respondendum est, per contritionem remitti omnia peccata, quæ per eam formaliter, vel virtualiter homo deservatur. Quod si quis instet de remissione, quæ sit per attritionem, quam contingit ita esse de vno peccato, vt nec formaliter, nec virtualiter sit de aliis: respondendum est, attritionem nunquam per se conferre remissionem peccati sine coniunctione alicuius sacramenti: sacramentum C autem non conferre hanc remissionem, nisi infundendo gratiam, quæ omnia peccata mortalia, necessario excludit. Vnde etiam sit, vt nulla attritio sit sufficiens dispositio ad gratiam recipiendam, etiam cum sacramento, nisi se extendat ad omnia peccata mortalia quæ homo commisit, quia dispositio debet esse proportionata formæ, & effectui formalis eius. Atque ita sit, vt de quacunque penitentia sit sermo, scilicet perfecta, vel imperfecta, seu eundem legem ordinariam non possit per illam fieri remissio vnius peccati, quin fiat de omnibus.

Attritio de
bet esse vni-
uersalis ad
remissionem
peccati om-
ni sacramento.

Quid sentiendum de potentia absoluta.

Atque hinc etiam facile constat quid dicendum sit de absoluta potentia. In quo aliqua possunt interrogari, vnum est, an possit Deus per solam penitentiam imperfectam, & absque alia infusione gratiæ, vel maiori immutatione voluntatis: nam si hoc potest, satis clarum esse videtur posse remittere, quædam peccata, & non alia, iuxta exigentiam attritionis, conferendo effectum moralem proportionatum formæ, seu dispositioni aut mutationi voluntatis. Quod autem illud possit, satis videtur constare ex superioribus, quia nulla ratio implicationis, etiam ex his que in aliis casibus apparenter obici solent, hic habet locum.

Ratio dubi-
tandi.

Non impli-
cat vnum
peccatum vo-
miti sine a-
li.

Alia interrogatio huc spectans est, an quando remissio peccati sit per contritionem veram, possit vnum peccatum mortale sine alio tolli. Et ratio dubitandi esse potest, quia vera contritio, etiam per absolutam Dei potentiam, non potest esse de vno peccato, quin sit de omnibus: ergo neque per illam potest vnum peccatum remitti, quin remittantur omnia. Sed nihilominus etiam hoc modo negandum est implicare contradictionem, vnum mortale peccatum sine alio remitti: cuius rationem supra tetigi in commentariis. Et nunc magis eam declaro ex differentia inter esse & causare contritionis, ob quam neganda est consequentia rationis factæ. Nam, quod contritio sit de omnibus peccatis, pertinet ad essentiam eius, quæ consistit in formali motivo eius: essentia autem rei, & formale obiectum eius est

immutabile, nam, si illa mutaretur, iam non esset contritio, sed quippiam aliud. At vero remittere peccata pertinet ad causalitatem contritionis, quæ causalitas, vt supra ostendi, non est formalis, sed dispositiua: neq; est omnino naturalis & physica, sed moralis, habens quidem fundamentum in essentiali perfectione contritionis, pendens tamen quatum ad actualem causalitatem ex acceptance, & ordinatione diuina. Hinc ergo fit vt hæc causalitas non sit ita immutabilis sicut essentia; possit enim Deus non esse contentus quacunque contritione ad remittenda peccata, sed exigere certam intensiorem, durationem, vel quid simile. Hoc enim, (quod aliqui Theologi dixerunt) factum iam esse à Deo, certe non est impossibile, nec repugnantiam inuolvens. Sic igitur pari ratione potuisset Deus non per quamlibet contritionem remittere omnia peccata. Nam in primis potest exigere formaliter contritionem peccati in particulari, & expresse recogitari, & consequenter illud solum remittere, & non alia, ad quæ tantum virtualiter extenderetur contritio. Deinde potest pro grauiori peccato intensiorem & acerbioiorem penitentiam postulare, & consequenter ob tantam contritionem remittere peccatum tantæ grauitatis, non vero alia grauiora. Hac ergo ratione etiam per hunc modum remissionis per penitentiam propriam & essentialiter perfectam hoc non implicat contradictionem: neque in hoc aliqua noua difficultas occurrit.

SECTIO II.

Verum per penitentiam remittatur æterna pena mortali peccato debita.

Questio hæc, sicut præcedentes, potest disputari de potentia ordinaria, & de absoluta. Et quoad priorem sensum Hugo, & Richardus de S. Victore sensisse videntur, nunc de facto remitti interdum culpam mortalem per penitentiam virtutem cum voto sacramenti, non vero reatum penæ æternæ vsq; ad ipsam realem sacramenti susceptionem: sed de eorum sententia dicemus infra, agentes de sacra-

De lege ordi-
naria remissio
mortali culpa, remittitur reatum penæ æternæ.
Aster. 1.
Conc. Trient.

mento. Et ideo illa omissa, dico primo: Remissio mortali culpa, de facto & secundum legem ordinariam, semper remittit reatum penæ æternæ. Est conclusio Theologorum omnium, & certa, traditur in Tridentino Sessione 6. cap. 14. Et ratio eius insinuat capitulo septimo, vbi dicitur, in iustificatione accipere hominem non tantum remissionem peccatorum, sed etiam sanctificationem, & interiorem renouationem, per quam ex iniusto fit iustus, & ex inimico amicus, vt si hæres secundum spem vitam æternam. Vnde argumentor, quia omnis iustus, & amicus Dei est filius, & hæres: ergo non est subiectus penæ æternæ, cum secundum præsentem iustitiam iam illi debeatur vita æterna: sed peccatum mortale non remittitur sine remissione penæ æternæ. Et ideo Paulus ad Romanos octauo, inquit, Nihil damnationis est tuis, qui sunt in Christo Iesu: & infra; Si Christus in vobis est, corpus quidem mortuum est propter peccatum: sed spiritus vivit propter iustificationem: si autem spiritus eius habitet in vobis, qui suscitauit Iesum Christum à mortuis, viuificabit & mortalia corpora vestra propter inhabitantem spiritum eius in vobis: & infra; Qui spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei: si autem filij & hæredes, &c. & capitulo sexto. Nunc vero liberati à peccato, serui autem facti Deo, habentes fructum vestrum in sanctificationem, sinem autem vitam æternam. Hæc ergo sanctificatio excludit mortem, & penam æternam. Et ideo (inter alios sensus) statim vocat gratiam vitam æternam. Et propterea etiam passim in Sacra Scriptura vere penitentibus simul cum remissione peccati vita æterna promittitur. Et hoc

Rom. 8.

ELIATA